

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

In dona hostium. Emblema CLXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

In dona hostium.

ἐξ ἑρῶν ἄδωρα δῶρα.

EMBLEMA CLXVIII.



BELLORVM cepisse ferunt monumenta vicissim
 Scutiferum Aiace, Hectoraq; Iliacum.
 Balthea Priamides, rigidum Telamonius enses,
 Instrumenta sua cepit uterque necis.

Ensis enim Aiace confecit: at Hectora functum
 Traxere Aemonys cingula nexa rotis.
 Sic titulo obsequij, qua mittunt hostibus hostes
 Munera, venturi prae scia fata ferunt.

COMMENTARII.

ASTAT Aias cum scuto suo, & ab
 Hectore gladiū dono accipit, He-
 ctor vero ab illo baltheum. Quae dona
 utiq; fuerūt exiio, hinc enim Aias gla-

dio illi moriturus incūbit; illinc Hector
 currui baltheo alligatus distrahitur.

II.
 SVMPVS est hic titulus, ἐξ ἑρῶν Epigr.
 ἄδωρα δῶρα, ex Sophoclis Aiace flagelli-
 Yy fero sumpta.

II.
 phe vide
 sumpta.

ximus plura Embl. 28. & 48.

Hectoraq; [Iliacum] Troianorum fortissimum,

Balthea] Balthea, in accusandi casu, quasi à recto Baltheus, nullo modo placet, ut neq; tolerari in patria Romana potest. Id in Alciato nostro peccatum, seu erratum potius, Grammatici nocte ætatis doctissimi obseruarunt: sicuti & ab Vrsino Velio, erudito sanè viro, idem penè admissum notant versu quodam de laboribus Herculis ex Anthologia Græcorum Latinis numeris expresso, sic:

Baltheon arripui, Thracisq; armenta cecidi.

Sed quid? in re tã vera manus dare cogimur, verumq; fateri, quod Fabius ait initio lib. 10. Instituit. orat. doctos etiam viros labi aliquando, cum & Ciceroni dormire interdum Demosthenes, Horatio etiã Homerus ipse videatur; summi enim sunt, homines tamen, Hæc quidem Claudius Minos: sed quid opus Alciatum nostrum coram Grammaticorum tribunali tam audacter reum agere? An non videbat doctissimus Minos & Baltheus & Baltheum dici, teste Propertio lib. 4. eleg. 11.

Præbebant casti balthea leniã bones.

Quis dubitet igitur, Alciatum hic plurale pro singulari *συνεδοχιῶς* poluisse? uti etiam paulò post, *cingula dicit*.

Priamides] Patronymicũ, pro Hectore Priami filio, ut apud Homerũ sepe legimus. Porphyrius tamẽ philosophus testimonij sibi, Alexandri, Euphorionis, & Lycophronis probat, Hectorem fuisse filium Apollinis. Hæc ex scholiaste Homeri, Iliad. 3.

Telamonius.] à Telamone, ad differentiam Aiæcis Oilei.

Instrumenta sua, &c.] Vterq; accepit suæ necis prælagium, utriq; fuit exitio suum donum. Græcè, *δωροτάρον ἢ χεῖρες εἰς θάνατον*. Hectoris enim cadaver baltheo circa Patrocli tumultũ Achillis iussum tractum est. Ajax gladio sibi ab Hectore donato seipsum confodit.

Aemonij votis.] Id est, Thessalis, Græcis. Aemonia siue Hæmonia, Thessalia est, unde Achilles originẽ duxit; sic dicta ab Aemone filio Deucalionis. Aemonia interdũ etiam pro Græciã, *συνεδοχιῶς*.

Sic titulo obsequij &c.] obtentu, prætextu, facie animi beneuoli. Huic sententia

consonat versiculus quidam, cuius autor iam non occurrit:

Non sunt dona, suis qua mittunt hostibus hostes.

Venturi præscia fata ferunt] portendit mortis euentum.

PRISCORVM superstitio sibi persuasit, obseruanda vel maximè munera, à quibus, quo animo mitteretur, propterea quod, quæ darentur ab ijs, qui nobis malè cuperent, exitio plerunq; fuisse costare. Ut fuit pyxis illa fallax per Pandoram à Ioue Prometheo trãmissa. Quemadmodum fuit & vestis, qua Medea nouam nuptam Iasonis donauit. Rursus vestis illa, quam Deianira misit Herculi. Præsens itaque Emblemata per dona mutua Aiæcis & Hectoris significat, viri mali dona esse in utilia perniciosaque. Quod Laocoõ apud Virgilium confirmat, cum à Trojanis equum dolo relictura nequaquam in urbem recipiendum censeret, his quidem verbis:

--- O miseri, qua tanta insania, cives? Creditis auctos hostes? aut vlla putatis Dona carere dolis Danaum? &c.

Et deinde:

Quicquid id est: imo Danaos, & dona ferentes.

Et alibi de Capy sic:

At Capy, & quorũ melior sententia menti, Aut pelago Danaum insidias, suspectaq; dona.

Præcipitare subit, subiectisq; vix flammis. Huic conuenit monostichon Græcum:

κακὸν γὰρ δῶρον ἴσον ἐστὶ ζημία.

Malum donum simile est detrimento.

Sæpe nihil interest, inquit Seneca, inter amicorum munera, & hostiũ vota. Quicquid illi optant accidere, in id horum in tempestiua indulgentia impellit atque instruit. Benè Horatius:

Nil moror officium quod me grauat.

Et Plautus in milite:

In mala uxore, atq; inimico, si quid summas, sumptus est:

In bono hospite atq; amico quaestus est quod sumitur.

Quadrabit & in eos, qui per artes magicas daemonum vtuntur obsequijs. Nã cademum exeunt in perniciem vtentium. Siquidem spiritus ille tenebrosus & impostor, quem scimus esse ab origine rerũ mendacem & homicidam, nõ potest odiũ suum atrocissimum erga genus humanũ

Y y 2 (hæc

IV. Dona hostium xia.

In præstigijs ores et magos.

Alciatus erroris arguitur.

Defenditur.

Hector filius Priami.

Aemonia.

(licet se simulet esse interdū supplicem, placatum, manufactum, nonnunquā etiam angelum lucis) protus celare, quin vngues suos figat, & aliquo modo nocēdo se se prodar. Docent enim nos sacrae literę, quōd natio diabolica exciderit veritate et gratia, sitq; immobilis ad bonum. Vnde Bodinus colligit indubitatum axioma, Numquam Sathanam bene facere, nisi vt grauius ex eo redundet malum: adeo natura Dei, inquit, aduersatur, qui nullum malum permittit fieri, nisi vt maius cōsequatur bonum. Documento esse possunt horrida exempla & interitus magorum. Nam vt vnam & alteram historiam modō referam, mira sunt quę in historia Bohemica Dubrauij Episcopi Olmuensis legimus, ita enim scribit de Venceslao, filio Caroli III. Quum filiam Ducis Bavarie Sophiam vxorē duxisset, nouus socer, vbi generum ludicris spectaculis & magicis prestigijs delectari cognouit, plaustrū plēnū prestigatorum secū Pragm aduexit. Ibi dum artificum præstantissimum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adest iter spectatores Zyto Venceslai magnus, orē vsque ad aures dehiscēte, accedēsq; proprius, artificem illum Palatini cum omni apparatu subitō deuorat, solos duntaxat calceos, quia luto oblitū videbantur, expuens, secēsumq; inde petens, ventrem insolita esca graue, in solum aqua plēnum exonerat, prestigiatoremq; adhuc madidum spectatoribus restituit passim deridendum, adeo vt ceteri quoq; eius socij à ludo desisterēt. Et paulō post, vbi alias multas ludificationes & prestigias eius recensuit, ita cōcludit: Caterū Zyto impostor, ad extremū à cacodæmone superstes cum corpore & anima de medio hominum sublatus fuit. Apud nos quoq; Germanos adhuc notū est, inter prestigiatōres & magos, qui pa-

trum nostrorum memoria innotuerunt, celebre nomē, propter mirificas imposturas & fascinationes diabolicas, adeptum fuisse Ioannem Faustum Kündlingēsem, qui Cracouie magiam didicerat, adeo vt ex plebe nostratium propemodum nullus reperiat, qui non aliquod documētum eius artis commemorare possit; illiq; eadem ludibria, quę modō de mago Bohemico diximus, ascribātur, vt libello Germanico idiomate vulgato patet. Quemadmodum autem horum prestigiatōrum vita similis fuit, ita vtq; horrendo modo in viuis esse desijt. Faustus enim, vt fertur, & à VViero lib. 2. cap. 4. recensetur, in pago Ducatus VVittēbergici inuētus fuit iuxta lectū mortuus, inuersa facie, & domo præcedenti nocte media qualata. Sic perijt infaustus Faustus. Alter verō, vt diximus, viuis à suo magistro raptus est. Et Ioannes Franciscus Picus Miradulanus, sicut à VViero introducit, memorie tradidit, magnum quendam, vt ipse à socijs eius adhuc viuis audierit, à dæmone viuum ablatum. nusquam comparuisse, dum curioso cuidam, & malē sano principi Troie oppugnationem repræsentare quasi in scena pollicitus esset, Achillemq; & Hectorē introducere præliantes. De Zoroastro quoq; qui Mesraimi Chami filius, & primus fuit, qui artis magicę disciplinam tradidit, scribunt, quod astris multū & frequenter intentus; cupiens apud homines Deū haberi, velut scintillas quasdam ex stellis producere, & hominibus ostentare cœperit, quōd rudes in miraculi stuporem traherēt; desideransq; hanc de se augere opinionem, sæpius ista molitus sit, vsq; adeo, donec ab ipso dæmone, quē importuniū frequētabat, succensus igne cremaretur. Hęc sunt hostis generis humani donā; hęc præmia digna impię & sceleratę curiositatis:

Ioannes
Faustus
magus.

Magus à
dæmone
abreptus.

Zoroaster
primus
magus, &
eius mors.

Historia
de Zyto
magis Bohemico.

